Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1937
Quelle:
Copyright:

52) *Ad Ducem gebennen. sed in parte ad Burgundie ducis oratores* 1442. Nomine Imperatoris, quem rata habere ait Principum horum ad pacificandam Ecclesiam studia, usus verbis illis *Joh.* 4. *Credidit ipse et Domus ejus tota. Domum* cum Ecclesiam, tum Familiam *Austriacam* intelligit. 53) *Responsio ad propositionem Anglicorum 1442. Moguntie.* In eundem sensum et verba *Ps.* 121. *Fiat Pax in virtute tua.* 54) Prolusio *in vesperijs Magistri Andree de Scherding* 1461. Init: *Cum alias in similibus vesperiarum actibus* &c. et corruptos aevi mores, ut solet, deplorat. 55) Salutatio Academiae nomine Praesulis cujusdam, quem *Salisburgensem* fuisse oportet, cum eum et *metropolitanum Archipresulem*, et *in spiritualibus patrem* compellet Orator, ita ingressus: *Quem olim inter Ephebos suos optime indolis lacte sue doctrine fouit pie matris more — nostra wyenn. Uniuersitas* &c. Nota temporis abest; conjicio tamen *Eberhardum IV. Stabrembergicum* fuisse, qui gradu theologico insignis erat, et *Viennam* adpulsus litem inter *Albertum* Archid. et *Leonhardum de Layming* Ep. *Passav.* feliciter composuerat, fato functus a. 1429. Atque in hoc desinit vastus Codex, rerum utilium ferax, et cum pluribus aliis testis hactenus mutus, cujus doctrinae, operae, et autoritatis fuerit *Thomas Ebendorfer de Haselbach.* Quod optes, expeditior est lectio; cum enim αὐτογραφα sint omnia, primoque conceptu in chartam effusa, multa expuncta, rescripta, infarcta, in marginibus subpleta Lectorem non parum morantur.

DCCCIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 558
Folior. 269. 4. rubricis distinctus hanc *fol.* 1. Notam praefert: *Venerabilis ille Doctor sacre Theologie et longo tempore plebanus in perchtoldstorf Magister Thomas de Haselpach scripsit propria manu hunc libellum. et anno domini 1464. 5ª feria post festum epiphanie domini defunctus est wienne. sed sepultus in perchtoldstorf. Carissimi orate dominum deum benedictum et gloriosum pro anima eiusdem.* Et merebatur id sane Vir maximis laboribus pro Ecclesia et Republica in Conciliis, Conventibus et utraque Cathedra defunctus, quorum magnam partem in his Commentariis grata memoria prosecuti sumus. Hoc porro Codice continentur *Sermones sacri*, prout eos elucubratus est, primum in *Dominicas et Festa Domini* incipiendo a Die *Ascensionis* ad *Dom.* XXIV. post *Pentec.* numero 50. dein in *Festa Sanctorum* numero 19. Primus inscribitur: *Collatio in Die Ascensionis Domini* 1428. in illud: *Primum quidem sermonem feci* &c. *Act.* 1. et incipit: *Christus dominus post passionem suam et resurrectionem transire volens a presenti lacrimarum valle* &c. Ita et reliquis passim adscriptus est annus, quo habiti sunt. Nihil concedunt quibusvis Exte-

rorum